



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Richildim Avgvstam. Rogat vt
Romanae ecclesiae suffragetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

deuotione compleueris , ad ecclesiæ tuæ reuertere gremium , nobisque sub certitudine cuncta renuntiare non differas. Vt si de cetero aliqua super his agenda sint arbitrio solerti , vt cura debita solicitus Deo propitio peragamus.

EPISTOLA XXVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD RICHILDIM AVGVSTA M.

Rogat vt Romanæ ecclesiæ suffragetur.

Ioannes episcopus Richildi Augustæ.

QVANTO amore spiritualis filius noster piissimus imperator erga hanc sanctam matrem suam ecclesiam flagret , ex hoc manifestissime claret , quod causam illius apud se specialiter exequendam & ordinandam in vestris propriæ manibus collocauit . Cui enim congruentius & præstantius eam , quam præ ceteris spiritualiter diligit , oro , committeret , quam vobis , quæ ab eo sic diligiiubemini , sicut diligi a Christo iubetur ecclesia ? Vnde magnopere gratulamur de vobis tot audientes præconia , & confidimus in Domino , quia onera quæ portamus , tam a paganis , quam a peccatis Christianis , vestri studii humeris alleuabitis , & eritis pro ecclesia Christi apud pium coniugem more sanctæ illius Esther pro Israelitica plebe apud maritum . Quia vero saepè ad Christianissimum coniugem vestrum semper Augustum diuersis pro necessitatibus siue missos , siue apices mittimus , ex hoc iam obsecramus & petimus , vos estote pro nobis ostium , lingua , & manus : imo totum pro nobis sitis , adiutoris fungentes officiis , & omnia pro nobis in omnibus facite . Ita vt amici quidem & fideles ecclesiæ huius per vos apud apicem vestrum locum , apud vos inueniant aditum & salubre in necessitatibus suis omnino remedium : econtra vero , inimici & infideles per vos confundantur & excludantur : quia & nos pro vobis apud omnes & in omnibus erimus , & præcipue apud beatissimos apostolorum principes Petrum & Paulum amatores & protectores vestros : ita vt paterno vos affectu semper fouere studentes , & tamquam spiritualem filiam dilectionis nostræ finibus collocatam

*Esther. 9.**Concil. Tom. 24.*

E ij

in Christo tractare ac tegere perpetuo satagentes, apud eos commendare assiduis precibus studeamus, & vestri memoriam ad sacrofancta corpora ipsorum semper depolare satagamus. Latamur autem & iocundamur in Domino, quia beatam vos & felicem dicent omnes generationes; quia pio committente coniuge tam salutiferum ministerium assumpsistis: per quod scilicet & in praesenti saeculo nomen bonum, quod est super diuitias multas, & caeleste acquiretis inter angelos, & non finiendum imperium. Data xvi. Kalendas Decembbris, indictione x.

EPISTOLA XXVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Commendat Vvigbodus Parmensem episcopum.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

QVIA desiderandam nobis, & totis viscerum brachiis amplectendam dilectionem vestram nihil patimur ignorare eorum quam maxime, quæ ad cumulum gloriæ vestri noscuntur culminis pertinere, operæ precium duximus innotescere, Vvigbodus venerabilem ecclesiæ Parmensis antistitem apostolorum adiisse limen, & sedem, tam orationis voto, quam inueniendæ per nos vestræ gloriæ desiderio; cuius mentis arcana subtilius inuestigantes, nos plane minime latuisse fatemur: quod & nunc sinceræ fidei erga pium imperium vestrum habendæ teneatur affectu: & hoc iam olim procul dubio rerum effectibus demonstrasset, nisi sibi esset a piæ memoriae priori principe causa talis iniuncta, quam sine sui discrimine floccipendere nequivisset. Vnde rogamus, data venia suscipite nunc illum ut mea viscera: quia & si forte quondam vobis erat inutilis, nunc autem vobis & nobis utilis: quamvis forte non sit dicendus inutilis, qui fidem ante promissam custodiens, simile circa vos seruandæ fidei dedit indicium: præsertim cum sperans in Domino non perdiderit, si mutauerit, fortitudinem, dum scilicet nobis hunc informantibus, si quopiam contra vos usus est, pro vobis proponat iam totis viribus exercere. Vnde non dubitamus illum se